

consequatur, quia dominus semper pecunie est, & periculum in re contingens suum erit, sicuti & lus-
crum, & damnum, atque periculum in re empta
contingens eiusdem commodo, vel incommodo
cedit, propterea modo moneta quam soluit non
sit in effectu deterior in bonitate, ab eo quod erat
tempore contractus, neque minorem florenoru;
aureorum in obligatione positorum quantitatem
emptor soluat quam ab initio conuentum fuerit,
poterit soluere monetam quam à consuetudine
in facultate soluendi habet ad valorem curren-
tem tempore cadentis solutionis, neque de illa so-
lutione poterit vendor conqueri, qui proprio
pacto ab actione, & petitione repellitur; & qui
nihil super illo augmento prætendere potest, pro
quo nulla dici potest nata obligatio ante tempus
solutioni præfixum, ut optimè considerat Surd.
conf. 335. nu. 40. & 41.

Non obstant considerationes contrariae, quia
63 primo quod dicitur de variatione † ob monetae
deteriorationem si in moneta minuta contingat,
dicitur illam deteriorationem non attendi quan-
do species in obligatione posita non variatur, nec
mutari potest illa aestimatio pecunie, que non ex-
tat, ut alias diximus, & ponit Surd. d. consil. 335.
lib. 3. Secundo non attenditur quando floreni sunt
in obligatione positi, & sic non militat isto casu
ratio.